DEO JUVANTE TRIUNO!

DISSERTATIO JURIDICA

DE

FORMULA

An Eydes-ſtatt/

Quam

IN FLORENTISSIMA SALANA

Præſcitu ac benevolo Indultu

MAGNIFICI JCtorum ORDINIS,

Sub Tutamine

VIRI NOBILISSIMI & EXCELLENTISSIMI

DN. JOHAN. CHRISTOPH. Hartung/

PHIL. & J. U. D.

Domini Fautoris ac Præceptoris ſui

æternum devenerandi

IN AUDITORIO JCtorum

Ad diem   Decembr. M. DC. XC.

Publico Eruditorum Examini ſubmittit

JOH. PHILIPPUS KLAUBERUS,

Dinckelsbühlenſ. Autor & Reſpondens.

Literis, Samuelis Adolphi Mulleri, 1690.

Magnifico Ampliſſimoq; Senatui
Inclytæ
Reipublicæ Dinkelsbühlenſis
VIRIS
Magnificis, Nobiliſſimis, Excellentiſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis ac Prudentiſſimis
DNNN.

CONSULIBUS,
SYNDICIS,
Cæteriſque
SENATORIBUS,

Dnnn. Mecœnatibus, Patronis & Promotoribus ſuis devotâ mentis obſervantiâ humillimè colendis

Salutem atq; Felicitatem perennem.

Magni-

Magnificentiæ NObilitatumq; Veſtrarum Nominib9 hoc qualecunq; Specimen Academicũ inſcribere auſus non eſſem niſi ſingularis ille favor, quo conat9 Academici ſpecimina & Æ qui ſtudiũ commẽtimini, calcar addidiſſet. Præterea hæſitantis diuq; deliberantis animum ſubijt, quod non ſolum intra Civitatis Veſtræ, Patriæ ſuaviſſimæ, muros, à teneris quiete vitam degere, ſed etiam ſub ſapientiæ ſtillicidio primas imbibere licuerit guttulas. Hæc enim ſi grata mente rumino, non aliter poſſum, quam Gratias VOBIS perſolvere utinam valerem maximas. Suſcipite igitur VIRI MAGNIFICI NOBILISSIMI AMPLISSIMI &c. hoc pietatis ſignum, perpuſillum licet perque tenue, Heroum more non offerentis munus, ſed animum reſpicientes, meque favori atque benevolentiæ Veſtræ omni tempore commendatum habete.

Magnific. & Nobil. Veſtr.

Devotiſſimus Cliens

Joh. Philippus Klauberus, Auth.

I. N. J.

Vim maximam, apud omnes populos, Romanos præſertim, & ab omni ævo, circa polliciationes, promiſſa & contractus, fuiſſe jurisjurandi, ſatis in aprico eſt; Nullum enim, uti ſummus ille Orator Cicero *L. 3. Offic.* inquit, vinculum ad adſtringendam fidem, Majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt: Et quid quæſo! hominum mentes magis in officio retinet, quam metus Numinis? Ad extremum igitur inductum eſt jusjurandum, quaſi pignus quoddam & arrha fidei, quod fidem arctius omni vinculo obſtringeret, obligaret & obfirmaret. Ex quo etiam religionem hanc optimus quisque, ſic ſemper veritus

eſt, ut vitam potius deſerere, quam perjurus effici maluerit. Fidei enim nomine mortuo, odia, ſimultates, lites, inimicitiæ, diſſidia & bella, imo latrocinia inter Gentes naſcuntur. Cumque eadem vis ac efficacia non immeritò in certis cauſis tribui ſoleat formulæ An Eydes-ſtatt/ placuit hac opella de ea quædam diſſerrere, eoque magis, quod frequentius dicta clauſula tam pactis quam contractibus adjici ſoleat. Deum igitur T. O. M. calidiſſimis exoro precibus, ut mihi in ſuſcepto opere benignitate ſua clementer aſſiſtere velit, ut omnia in ſui ipſius gloriam, patriæ ſalutem & proprium ſtudiorum meorum emolumentum vergant.

Th. I.

NE autem in limine, quod ajunt, impingamus, inquirenda nobis eſt definitio juramenti in genere tam nominis quam rei. Hæc igitur verba, jusjurandum, juramentum & Sacramentum ſæpe pro iiſdem ſumuntur, ut conſtat ex Tit. D. et C. *de jurejur. De in lit. jur. Auth. Sacramenta puberum C. ſi adverſ. vendit.* nec in Civili tantum, ſed etiam Canonico Jure, Panorm. *in rubr. Extr. de jurejur. l. 2. C. d. jurejur.* Quanquam Sacramentum aliquando latius ſumatur pro actu, qui atteſtatione ſacræ rei firmatur, & militare potius quam forenſe eſt vocabulum *l. 8. C. de Legat.* Jusjurandum autem non ſimplex verbum eſt, ſed junctim dicitur à jure & jurandum: Unde ſæpe apud Oratores & Poëtas disjunctim reperiuntur, ut apud Cic. *in Orat. pro Cœlio Socio*: Religionis jurisque jurandi & Ovidium *in Epiſt. Cydippes.* Definitio nominalis

Quid ubi nunc prodeſt jurandi formula juris?
& Juven. *Satyr. 13. fraudem jure tueri jurando*, idque potisſimum tum, quod non jurandum ſit, niſi quod jus ſive juſtum eſt, vid. *c. animadvert. 22. q. 2.* Alij à juro derivant, quod proprie ſignificat, promitto me adhibitis etiam teſtibus ita ſervaturum, ac ſi jus eſſet. Cumque nullum ſit præſentius teſtimonium, quam divini nominis, ſit, ut tum jurare dicamur, cum Deum invocamus teſtem vid. Calv. *Lex. Jurid. voc. Juramentum.* Sed à jure potius *dici* arbitramur, quaſi juris adſtringamentum, quod id de quo juramentum eſt præſtitum pro lege ſervari, & nullo modo violari de-

debeat, quemadmodum & Sacramentum dicitur quia qui jurat, ſe quodammodo ſacrat ſeu devovet, & quia quaſi rei ſacræ arctiſſimum eſt vinculum, quod nullo modo lædendum. Dicitur deinde à jurando, quo ſimplici etiam interdum pro juramento utimur, germanice vocatur Ein Eyd / quod procul dubio deſcendit ab Ebræo עד quod ſignificat teſtimonium, Item Ein Schwur quod eſt à ſchweer / weil es eine ſchwere Sache iſt einen Eyd zuthun. Etiam jurisjurandi conditio, ut patet ex *l.34.* §. *7. l.26.* §. *fin. ff. de jurejur.* aliquando religio *l.18. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog. l.26. ff. de jurejur. l. 22. in fin. ff. de dolo malo;* Vel jurisjurandi religio *l.14. ff. de jurejur. l.8. de condit. inſtit.*

Th. II.

Realis. A definitione nominis tranſeundum eſt ad definitionem rei. Et quanquam, uti mos eſt, variæ juramenti in genere circumferantur definitiones, eæ ſi penitius introſpiciantur, ut verbis maxime diſcrepent, re tamen ipſa inter ſe conveniunt. Nobis juramentum recte definiri videtur; Quod ſit aſſumtio divini nominis ad confirmandam fidem profeſrentis, vel potius: Invocatio Dei, qua petimus, ut ſit teſtis noſtræ aſſeverationis & puniat fallentes. Ex quo ſequitur, (1) Atteſtationem per animam Bey ſeiner Seelen Seeligkeit / vel ſalutem ſuam non eſſe formale juramentum, implicite vero & hoc juramentum eſt, præprimis ubi ſolenne non requiritur Carpz. *2. C. 16. d. 6. n. 12.* (2) per verum Deum, non per creaturas aut deaſtros eſſe jurandum Math. *5. v. 34.* Per hos enim præſtitum juramentum non obligat, niſi

ex

ex conſcientia erronea, quæ vim habet obligandi ſub ea, qua concipitur ratione, nempe qua exiſtimat gentilis ſe per verum Deum jurare, vid. Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 17. th. 5. j. l. 5. §. 3. ff. de jurejur.* Et quia, quanquam ſub falſis notis, generali tamen complexione Numen intuetur. Ideo Deus verus ſi pejeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretatur Grot. *de J. B. P. L. 2. c. 13. §. 12.* Neque hic vel etiam creaturæ perjurium vindicare poſſunt, (3) per eum ſolum eſſe jurandum; Ipſe enim ſolus ut omnipotens adoratur, ſolus etiam ut Omniſcius ac Omnipotens in conſcientiæ noſtræ teſtem & perfidiæ ultorem invocatur Deut. *6. v. 13. 20.* Unde patet, formulam jurandi in *Nov. 8. pr.* poſitam his verbis: Juro *Ego per Deum Omnipotentem & Filium ejus unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum, per ſanctam Glorioſam Dei genitricem & ſemper Virginem Mariam, & per quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & per ſanctos Archangelos, Michaelem Gabrielem &c.* vitio non carere. Quamvis non deſint, qui Imperatorem benigne excuſent, quod nimirum jurans ea formula ſaltem teſtetur, ſe ſi juramentum non ſervaverit, non tantum S.S. Trinitatem implorare executorem & perjurii vindicem, ſed etiam omnes Angelos, & Archangelos qui coram Omnipotentisſimi Jehovæ Throno indeſinenter expectant, hominibusque præſto ſunt, teſtes appetere omni exceptione majores, quid? Quod ſe non participaturum de pretioſisſimis Evangelii promiſſionibus, & æterno Beatis deſtinato gaudio, quo ſancti hi fruuntur, ſpondet vid.

 Grot.

Grot. *L. 2. c. 13.* §. *12. ibique Not.* Excell. Dn. D. Simon.

Th. III.

Diviſio. Dividitur juramentum in genere ratione finis in Promiſſorium, Aſſertorium & Mixtum. Promiſſorium eſt vel publicum, quo pertinet juramentum clientelare, ſubjectionis & domeſticitatis. Vel privatum, quod eſt vel promiſſorium in ſpecie, quo aliquid obligationis inducendæ gratia promittitur, vel confirmatorium, quod actum ſeparatum præſupponit, illique confirmandi gratia accedit. Juratum Aſſertorium eſt, quo aliquid aſſeritur, & reſpicit vel cauſæ æſtimationem, ut juramentum in litem, expenſarum &c. Vel deciſionem, idque vel indirecte, ut juramentum dandorum, malitiæ, perhorreſcentiæ, appellationis, diffesſionis & purgationis: Vel directe, ut juramentum litis deciſſorium, quod defertur vel à partibus vel à Judice. A partibus vel extra judicium, hinc juramentum voluntarium, vel in judicio, inde juramentum judiciale. A Judice delatum dicitur Suppletorium. Juramentum mixtum dicitur juramentum calumniæ generale, de quibus omnibus vid. Lauterb. *Tit. de jurejur.* Formula noſtra An Eydes-ſtatt potisſimum pertinet ad promiſſorium in ſpecie & confirmatorium.

Th. IV.

Quæritur autem: An Clauſula An Eydes-ſtatt ſit vera ſpecies juramenti? Videtur non eſſe. Etſi enim hoc modo quid promittatur, tamen idem non eſt *ac* juramentum; Quod enim pro alio ponitur, non

non eſt idem. Hinc dicitur, quod aliud ſit, tale eſſe, & aliud pro tali haberi, cum illud denotet proprietatem, hoc vero fictionem tantùm, & aliàs dici ſolet: Nullum ſimile eſt idem. Secundo: Quia nullum poteſt præſtari juramentum, ſine Invocatione Divini Nominis per definitionem ſupra traditam. Tertio: Deficit ſolennitas juramenti, ut ſcil. levatis digitis juretur. Quod autem introductum eſt pro forma ſolennitatis, non præſtatur per æquipollens. nam forma præciſe obſervanda eſt nec à quoquam mutari poteſt. Quarto: Juramentum quoad omnes effectus κατ' ἐξοχὴν dicitur corporaliter præſtitum *l.1. C. ſi adverſ. vendit.* Quinto: Dd. hanc promiſſionem quoad effectus, non habere vim ſpecialis juramenti, atque ob id in renunciationibus mulierum, quæ juramentum requirunt, non habere locum, arbitrantur, vid. Carpz. *P.2.C.16. D.6.* b Et data fidei præſtatione, An Eydes-ſtatt/ non juratur. Qui enim promittit loco juramenti, promittit quaſi juraret; Ergo non juravit. Verum diſtinguendum putaverim inter juramentum explicitum & implicitum. Quamvis enim hæc formula An Eydes ſtatt/ non ſit juramentum explicitum & formaliter tale, ſecundum quæ hactenus dicta intelligenda, eſt tamen juramentum implicitè ac æquipollenter tale, Weſemb. *Conſ.15.n.36.88. Coler. de Proceſſ. Execut.p.1.C. 10.n.246.* Utut negari nequeat, in omnibus iſtam formulam non æquipollere juramento Corporali, ut infra in effectu dicetur. Ut plurimum vero hunc jurandi modum vim ac effectum juramenti habere patet ex eo, quod ea mens & intentio ſit utriusque tam

 pro-

promittentis, quam ſtipulantis, ut habeatur pro vero juramento, at vero juramentum intelligitur ſecundum mentem deferentis vel ſtipulantis & ſecundum eandem intentionem etiam à DEO judicatur, *can. 9. 11. & 12. C. 22. q. 5.* Præterea ex conſuetudine, quæ pro lege valet, hæc vis & effectus clauſulæ noſtræ meritò tribuitur, dum hodiernis moribus ea uſurpatur ut contractus juratos faciat. Et denique uſus rerum humanarum ad firmandos actus hoc poſtulat, dum corporaliter & ſolenniter jurare non ſemper vacet, adeoque conſcientiis juxta & negotiis humanis ſecurius magisque hac ſententia proſpectum eſſe videtur Mev. *1. D. 146. n. 7.*

Th. V.

Cauſa Efficiens.

Cauſam efficientem proximam in voluntate jurantis ponimus, quam exprimit verbis, literis, vel per intermediam perſonam, nuncium ſcil. & Procuratorem, modo ſpeciale mandatum habeat, Carpz. *p. 1. C. 12. Df. 39.* In foro autem Saxonico juramentum per procuratorem & nuntium præſtari nequit. Carpz. d. l. Struv. *Ex. 17. th. 17.* Niſi principalis ſit perſona illuſtris, qui ex diſpoſitione Juris communis, etiamſi velit, non poteſt judicio intereſſe, ſed neceſſario per Procuratorem cauſam agere debet, ſub pœna amiſſionis cauſæ *l. 25. & Auth. hoc. jus C. de Procurat.* Quæ tamen ipſa limitatio limitanda iterum, niſi illuſtris cum illuſtri agat, hoc enim caſu alteruter illuſtrium ipſe, non verò per procuratorem jurare tenetur, quia privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur ſuo privilegio *arg. l. 8. de Excuſ. Tut. l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. l. 11. §. 6. de minor.* Richt. *deciſ. 100. n. 19.*

n. 19. Sed quid ſi illuſtris v. g. Comes cum ſuperilluſtri v. gr. Principe Imperii litiget? Reſp. Hoc caſu Principem jurare poſſe per Procuratorem, ita reſponſum in cauſa inter Principem Lünebrug. & Comites Schwartzb. hoc modo: Demnach ſprechen wir vor recht / daß Hochgedachter Euer Gn. Fürſt und Herr / Hertzog von Braunſchweig / als ein Fürſt des Reichs Perſöhnlich den Eyd zu leiſten nicht mag angehalten werden: Sondern es ſeyn die Herrn Gegner ihres Vorwendens ungehindert den Eyd / ſo ihre Fürſtl. Gn. vor den Richter durch euch / als deßhalb ſeyn Vollmächtigen Anwald in ihre Fürſtl. Gn. Seele ſchweren zu laßen erbötig / dißfals anzunehmen und ſich damit begnügen zulaßen ſchuldig V. R. W. Richt. *1. P. 1. Conſ. 60.* Cæterum Juramentum diffeſſionis etiam illuſtris perſona ipſa præſtare tenetur. Sartorius *de Recogn. Inſtr. th. 161.*

Th. VI.

Materiam in qua ſ. Subjectum quod attinet, qui nimirum hanc clauſulam adjicere poſſint, ſciendum, regulariter omnes poſſe *arg. l. 3. ff. pr. ff. de jurejur.* niſi naturâ impediantur vel lege prohibeantur. Natura impediuntur Infantes, *l. 17. §. 1. ff. de jurejur.* quia in illis judicium, quod tamen individuus comes eſt juramentorum *c. etſi Chriſtus de jurejur.* deficit; Nec pejerare hi dicuntur, etiamſi jurent, cum ſcientes fallere non videatur *l. 26. §. 2. ff. de jurejur.* Si tamen juramento forte opus fuerit, Tutorem pro iisdem jurare convenit, vid. Tholoſ. *in Syntagm. Jur. Civ. L. 50. c. 7 num. 3.* Quod tamen non procedit in his, qui pubertati Subjectum.

tati proximi ſunt, *l. fin. §. 2. ff. de liber. cauſ.* cum præſumantur doli eſſe capaces, & intelligere quid agant *l. 23. ff. de furt.* ut meritò perjurium tanquam delictum in ea ætate vindicandum Setſer. *de Juram. L. 1. c. 10. num. 6. 7.* Porro jurare & hanc Clauſulam ſubjicere prohibentur Impuberes, pupilli, dementes ſeu mente capti, fatui & furioſi. Licet enim hi aperte in vicem diſtent & L L. à ſe invicem diſtinguantur §. *3. Inſt. de Curat.*: Nihil tamen quoad obligationem juramenti differunt, cum pejerare non poſſe dicantur *arg. l. 26. de jurejur.* & conſenſu ſeu animo judicioque careant *l. 17. §. 2. ff. de judic:* neque ullum negotium recte contrahant *l. 40. ff. de R. J.* Item Ebrii, qui furioſis propter inductum per ebreitatem mentis deliquium, æquiparantur, Quod tamen eo caſu procedere putamus, ſi plane extra omnem intellectum conſtitui fuerint, omnique prorſus ratione & judicio deſtituantur *l. 6. §. 7. de re milit.*: Si enim ebrius non omni mente alienatus, ſed ejusmodi ebreitas ſit, quæ ſaltem ſenſum facit hebetem, appoſita abeo formula An Eydes-ſtatt valebit: vid. *alleg.* Setſer. *L. 1. c. 6. n. 10.* Irati, qui à furioſis ſaltem tempore differunt, ut merito ipſorum juramentum nullius valoris eſſe debeat *l. 2. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* Sicut & reliqui actus & contractus, calore iracundiæ facti, nec tenent nec oligant Dd. *in l. 48. de R. I.* Ita, ut nec pœnam perjurii incurrant *l. 2. C. de jurejur.* Eodem ſcilicet modo uti ſupra, quatenus aliquis ita fuit ira commotus ut ab omni mente fuerit remotus. Si tamen remiſſo calore & ſanitate mentis recepta, ratum habeatur & acceptetur illud, aut aliàs, veluti ex

per-

perſeverentia appareat, judicium animi fuiſſe : Eo caſu mentis deliberatio & animi propoſitum præſumitur, *arg. l. 3. ff. de divort. d. l. 48. de R. J.* Quæritur : An etiam naturâ impediantur amantes? Quæſtio
Reſp. Licet perſonis modo dictis amantes proxime accedere videantur, qui maximo concitati amoris impetu, amaſiis ſuis obteſtatione quadam interdum, ſat ardua fidem conjugalem promittunt cum ubi amor, ibi furor *c. cum juventute 15. Extr. de præſumt.* nihilominus, cum amor omnem intellectum non excludat, præſertim ubi deliberatio, & certum propoſitum, quo re amata potiamur & perfruamur, præcedit, omnino clauſulam juramenti loco adjectam ſervandam eſſe putem, vid. Setſer. *de Tract. L. 1. c. 8. n. 67.* Ubi tamen recte addit, verum hoc eſſe, niſi aliud prohibeat, illudq; exemplo illuſtrat adoleſcentis, qui inſciis & inconſultis parentibus fidem dat virgini ſeu viduæ, eamque juramento tali confirmat. Cum enim hæc ſponſalia ipſo jure nulla ſint, *per §. 11. J. de Nupt.* Juramentum autem non confirmet actum, qui eſt ipſo jure nullus, nec conſenſum ſupplere poſſit, Ideo ejusmodi juramenta nulla ratione attenduntur, Beuſt. *in ſuo Tract. de Jure Connub. c. 48.* Secus autem eſſe putamus, ſi juvenis juvenculam cognoverit, deinde ambo de ſtupro accuſentur, ipſi autem juramento aſſeverent, ſe antehac invicem matrimonium contraxiſſe, tum enim, uti habet *Gloſſ. ſing. in l. penult C. de fidejuſſ.* Vi iſtius juramenti actus præcedens confirmatur & accuſatio inſtituta impeditur.

Th.

Th. VII.

Lege prohibentur formulam Loco Juramenti appenere prodigi, *arg. l. 35. § 1. ff. de jurejur.* Umm: *Diſp. 14. n. 8.* qui quamvis adhuc, ex ſermonibus præſertim videantur mentis eſſe compotes, tamen, cum neque tempus neque finem expenſarum habeant, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundant *l. 1. pr. ff. de Cur. fur. vel. al. dand.* non multum quoad uſum rationis à furioſo diſtant *l. 10. de R. I.* ut merito propter tale vitium præſumantur carere ſenſu atque intellectu. Unde & hinc inde furioſis comparantur *l. 12. §. 2. ff. de Tut. & Cur, l. 1. pr. de Cur. fur. l. 6. de V. O.* Et nequidem naturaliter obligantur *d. l. 6. eod.* nec liberam diſpoſitionem de rebus ſuis habent, ſed curatoris conſenſu contrahunt.

Th. VIII.

Igitur qui non impediuntur, nec prohibiti reperiuntur admiſſi ad jurandum, cenſentur. Nec inter eſt, cujus ſint conditionis ætatis; vel ſexus. Proinde ſi vel ſervo delatum fuerit jusjurandum, vel pupillo, omnino cuſtodiri debet adverſus eum, qui contentus eo fuit, cum deferret *l. 25. ff. de jurejur. l. ult. ff. de liber. cauſa.* Minorum etiam ſive puberum Clauſula Juramenti loco ſponte adjecta contractibus eorum inviolabiliter cuſtodienda eſt, ita, ut nec reſtitutione in integrum juventur per *ſæp. alleg. Auth. Sacramenta puberum C. ſi adverſ. vendit:* Judæos quoque & Turcas per leges

ſuas

ſuas & religionem, fidem & contractus, quos vel inter ſe ipſos vel cum Chriſtianis celebrant, juramento confirmare, & ad obſervantiam juramenti legitime compelli poſſe, certum eſt. Primo: Quia eadem hic militat ratio, quæ attenditur in juramentis Chriſtianorum, nempe jurare hi coguntur, ut major fides ipſorum dictis adhibeatur, cujus gratia juramenta inventa ſunt, *c. ſi peccatum 22. q. 1. & c. etſi Chriſtus c. Ego Epiſcopus pr. de jurejur.* Ubi autem eadem ratio eſt, ibi idem quoque jus eſſe debet *l. 32. ad Leg. Aquil.* Ut ergo Judæo, Turcis aliisque infidelibus ſecurius credatur, quidni juramentum adeoque & clauſula Juramenti loco ab iis exigi poterit? Et cum à communibus Juris Romani & Canonici regulis non expreſſe ſint exempti, cur liceat ipſis impune fidem fallere, & melioris, quam Chriſtiani ſunt, eſſe conditionis? Secundo: Quia, licet Gentium prædictarum religio falſa eſt atque erronea, tamen juramento formam dat, cujus vigore jurans efficacius voluit obligari, prouti eleganter tradit *Seraphin*: diſtincte docens: *Quod ſi ſcienter juratum ſit per falſos Deos, juramentum non obliget; Secus vero ſi ignoranter, putando ſe jurare per vera Numina, tunc enim obligare.*

Th. IX.

Ulterius filiusfamilias non minus jurare & in contractibus clauſulam An Eydes-ſtatt adjicere poteſt excepto mutuo, quod SCtum Macedonianum impedit; ita ut ne quidem filiusfam: ei juramento renunciare poſſit. Unde & clauſula juramen-

ti loco nec de jure Civili nec Canonico valet. Eſt enim contra bonos mores, & occaſionem præbet peccandi & delinquendi *c. non eſt obligatorium de Reg. jur. in 6.* Accedit quod vergat in præjudicium tertii nimirum patris, quale juramentum nec Jure Canonico valere ſupra dictum eſt. Idem judicium eſto de fœminis, cum non minus ex aliis quoque conventionibus & contractibus regulariter ligentur ita, ut ſi contra juramentum veniant, pœnam *l. 41. C. de Transact.* non evitent. Ita quamvis mulieres renunciantes Sćto Vellei. non obligentur regulariter Berl. *2. C. 19. n. 56.* Secus tamen eſt, ſi jurata renunciaverit, adjecta clauſula An Eydes-ſtatt ita in Scabinatu Jenenſ. *Menſ. Jun. 1629.* ad requiſitionem des Landvogts zu Erfurt pronunciatum eſt: Das Beklagte die am Tage P. P. 1607. auff vorhergehende Erinnerung ihrer weiblichen Gerechtigkeit An Eydes-ſtatt erfolgeter Verwilligung nach zukommen ſchuldig. V. R. W. vid. Richt. *2. Conſ. 253.* Nec enim inter maſculos & fœminas facile differentia aliqua eſt introducenda, *l. 4. C. de liber. præter. l. 4. ff. ad Sćtum Maced.* Maxime in hoc caſu, quo diſpoſitio eo ſpectat, ut homines ad obſervantiam jurisjurandi compellantur, ita ut contravenientes puniantur, & maſculinum ſemper includat fœmininum, etiam in pœnalibus *l. 8. ſ. 1. 10. ff. ad. Leg. Jul. de Adult.*

Th. X.

De ſurdo autem & muto non abſque ratione dubitari poteſt, an hac formula An Eydes-ſtatt / uti-

uti poſſint? Et quamvis alias de illis dubitetur, an jurare recte poſſint, tamen in noſtro caſu eo minus dubitandum, cum clauſula iſta plerumque contractibus in ſcripturam redactis ſubjiciatur; quin imò Juramentum Deo præſtatur, qui hominum mentes & corda novit, adeoque non opus ſit, ut ad juramentum verba adhibeantur, ſed nutus ſufficiat, ſcriptura, aut aliud quoddam ſignum externum, quemadmodum in mendacio quoque obtinet, quod licet definiatur falſa ſignificatio vocis, cum intentione fallendi, tamen omni ſigno, ſeu nutus ſit, ſeu ſcriptura, ſive factum ſive vox & ſermo denique, committitur, ita, ut per vocem omnia hæc intelligantur docente Hornejo *in philoſoph. Mor. L. 3. c. 10.* de Verit. & Urbanit. *p. 421.* Sicuti & præmemoratæ perſonæ teſtificari poſſunt, dummodo ſcribere ſciant, vid. Zanger. *de Except. P. 2. c. 9. n. 21.*

Th. XI.

Materia clauſulæ An Eydes-ſtatt eſt eadem quæ juramenti in genere, nempe alicujus rei aſſertio ſine æquivocatione verbali aut mentali. Removentur itaque omnes ſermones dubii, item reſervationes mentales, quoniam juramentum ſemper ſecundum intentionem deferentis accipitur, & quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ noſtræ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Clare igitur jurans exprimere debet, quid ſentiat, excluſis omnibus doloſis limitationibus mente reſervatis. Res vero honeſtæ Objectum

& licitæ ſint neceſſe eſt ; Nec enim juramentum vinculum debet eſſe iniquitatis, neque obligatorium eſt, ut ajunt, contra bonos mores *c. non eſt obligatorium de Reg. jur. in 6.* De omnibus autem rebus ſive ſint mobiles ſive immobiles jurisjurandi religio, adeoq; etiam clauſula noſtra interponi poteſt ; Modo non aliquæ expreſſe reperiantur prohibitæ. Omnia namque præſumuntur licita, quæ de jure prohibita non reperiuntur *l. 28. §. 2. Ex. quib. cauſ. maj.* Præterea cauſæ dignitas requirit, ut res ſuper qua quis jurat, ſit certa & majoris momenti ; Temeritas enim eſt de incertis & incognitis jurare. Neque etiam bonis moribus debet eſſe contraria, vel exemplo perniciosa, vel ſi contra Rempublicam faciat ; Unde ſi quis juret, non revelare ſecreta alterius, nihilominus tenetur veritatem dicere, ſi in teſtem producatur, Ruland. *de Commiſſar. P. 2. L. 2. c. 11.* Sic quoque requiritur, ut res de qua quis jurat, ſit in ejus poteſtate. Si igitur quis factum alienum jurejurando promiſerit, licet perjurium non incurrat, (impoſſibilitas enim & difficultas, quæ nulla diligentia evitari potuit, à perjurio excuſant, *c. 17. brevi Extr. de jurejur.*) modo omnibus nervis intenderit ut fieret, juramento abſolvitur : Si tamen pœna promiſſa fuerit, vel quanti intereſt, non liberatur, quia ſibi imputare debet, quod temere ejuſmodi difficultati ſe expoſuit, quam facile evitare potuiſſet.

Th. XII.

Chriſtiano verò formulam **An Eydes-ſtatt** actibus adjicere permiſſum eſſe, nulli dubitamus.

Quo-

Quoniam (1) actus qui poteſt cadere ſuper debitam materiam, & procedit ex debito motivo, ordinaturque in debitum finem, eſt bonus & licitus; Sed jurare adhibitis debitis circumſtantiis, cadit ſuper debitam materiam, cum ſcilicet defectu teſtium juratur verum, quod alteri eſt dubium, procedit etiam ex bono motivo, & ordinatur ad bonum finem (eatenus enim lites præſcinduntur ſalusque proximi promovetur) E. eſt bonum & licitum. Minor probatur ex eo, quod juramentum originaliter introductum ſit ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem cognitionem de omnibus, & providentiam tam bonis quam malis adulciſcendum vel præmiandum (2) id ipſum S. Scripturæ dicta oſtendunt in V. Teſtamento expreſſa ut *Ex. 22. v. 16. Jerem. 12. v. 5. Am. 6. v. 8.* Piorum etiam extant juramenta *Geneſ. 14. v. 22. & paſſim.* (3) quia hac in re in N. Teſtamento nil reperitur immutatum, ſed potius in eodem juramenta approbantur *Hebr. 6. v. 14. 15. 16.* Nec obſtat dictum Salvatoris *Matth. 5. v. 34. Ne jurate omnino, & ſermo veſter in poſterum ſit : Eſt Eſt : Non Non:* Reſp. enim: Mentem Chriſti non fuiſſe ibidem jusjurandum ſimpliciter prohibere, quod necesſitate, ita exigente ob fidem faciendam, in cauſa, gloriam Dei, ſalutem publicam, noſtrum aut proximi commodum, concernente, præſtatur. Neque enim quid abrogat, ſed varias legis divinæ à Judæis inductas corruptelas reprehendit (quia Chriſtus non eſt novus Legislator, ſed novus legis explicator atq; Doctor) quarum, præceptum non pejerabis, quod concernit, prima fuit, quod exiſtimaverint, non eſſe

peccatum, temerarie & ex levitate ſeu citra neceſſitatem jurare. Ex ipſa nimirum lege, quam Chriſtus ibi interpretatur, verbis : *Ne jurate omnino*: addendum : incaſſum ſeu in vanum h. e. ſive falſo ſive verè juretis, abſtinete à juramento, quo Nomen Dei in vanum aſſumitur : Et ſermo veſter, cui hactenus temere jusjurandum adjeciſtis, ſit inpoſterum *Eſt Eſt, Non Non* : Quod ultra, ſcilicet præter neceſſitatem & ex *κακοηθεία* ſeu prava jurandi conſuetudine, quæ ibi taxatur, à malo proficiſcitur, conſ. Magnific. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 17. th. 3.*

Th. XIII.

Forma, Formam quod ſpectat, illa certa quidem, ſed non apud omnes eadem fuit. Veteri Romanorum more, aut teſtis invocabatur Deus, ut apud Virgil. *Ænid. 12.*

Eſto nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti,
Et Pater Omnipotens : Et tu Saturnia Juno.
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine ſancit.
Tango aras mediosque ignes & Numina teſtor.

Aut jurans ſibi male precabatur, ſi fefelliſſet, verbis hiſce ſolennibus : *Si ſciens fallo, ita me Dieſpiter Salva urbe arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Silicem enim lapidem manu tenens imprecabatur, quem poſtea qua poterat vi ejiciebat vid. Weſemb. *parat. ff. de jurejur.* Nos omiſſis tum aliis, tum antiquorum modis & formulis, quas Cicero, Plautus, Gellius, Livius aliique, quam copioſiſſime nobis annotatas reliquerunt, priori modo, nempe per ſolius Dei nomen in Chriſtiana Republica jurandum eſſe ſupradiximus

ximus. Idque ſecundum præceptum divinum, in nomine Dei tui jurabis *Ex. 22. v. 11.* Formula in vulgus nota eſt. Cæterum Judæorum juramenti formula deſcribitur in Ordin. Cam. P. 1. T. 86. hoc modo. Adonai ein Schöpfer Himmels und des Erdreichs und aller Dinge / auch mein und der Menſchen die hier ſtehen / ich ruffe dich an durch deinen heiligen Nahmen &c. &c. Wo ich aber nicht recht oder wahr habe in dieſer Sache / ſondern einige Unwarheit / Falſch- oder Betrugligkeit darinne gebraucht / ſo ſey ich haram und verflucht ewiglich: Wo ich auch nicht Recht und War habe in dieſer Sache / daß mich dann übergehe und verzehre dz Feuer daß zu Sodoma und Gomorra übergieng / und alle die Flüche die an der Torah geſchriben ſtehen / und daß mir auch der wahre GOtt / der Laub und Gras / und alle Dinge erſchaffen hat / nimmermehr zu Hülffe noch zu Statten komme / in einigen meinen Sachen und Nöthen. Wo ich aber War und Recht habe in dieſer Sache / alſo helffe mir der ware GOtt Adonai. Formulam juramenti, quod Turci Chriſtianis præſtant, vid. in Diar. Europ. *P. 9. §. 8. v. 9.* nempe: Juro per illum Deum verum, qui cœlum & terram condidit, per benedictum potentiſſimi Imperatoris caput, per Sanctum Prophetam Mahometem &c.

Th. XIV.

Finis Clauſulæ An Eydes-ſtatt eſt, ut dictum & geſtum magis firmetur, & promittens arctius in- Finis:

con-

conſcientia conſtringatur, vel etiam ut veritas pateſiat, quem communem habet cum Juramentis in genere, quorum inter alios fines non ultimus etiam eſt, ut lites expediantur, *l. 1. pr. ff. de jurejur.* & probationis defectus ſuppleatur. Manifeſtum enim eſt, ita hominum mentes eſſe comparatas, ut ſæpius ex innata quadam malitia peccare geſtiant, nec veritati ſuus ubique relinquatur honos? Ideo Jure tam divino quam humano veneranda juramenti religio introducta & hominum levitati, quaſi repagulum quoddam præſtituta eſt, mediante quo adveritatem dicendam adigerentur, & hoc pacto controverſiæ eo citius exitum ſortirentur. Deinde juramenta litium expediendarum maximum dicuntur remedium, quod ex *alleg. l. 1.* videre eſt. Defectum probationis per juramentum ſuppleri ex eo patet, quod juramentum majorem habet authoritatem, quam res judicata. Et non in eleganter Dd. herbæ Betonicæ juramentum ſimile eſſe dicunt: Ut enim Medici illam herbam omni fere morbo utilem ac ſalubrem eſſe credunt, ita litibus & turbis neceſſario applicant Judices & contrahentes juramenta.

Th. XV.

Effectus. Effectus hujus formulæ eſt idem, qui juramenti in genere, nimirum jurantes obligat, ut id, quod promiſere præſtare teneantur, modo ſervari poſſit absque periculo animæ & ſalutis æternæ, nec vergat in præjudicium tertii *c. cum contingat Extr. de jurejur:* Ulterius effectus ejus eſt, præcidere controverſias. Omnis enim diſputationis finis eſt, juramen-

mentum rem ſanciens, *Hebr.6.v.16.* Juramentum & formula An Eydes-ſtatt porro facit ex non debito debitum *l.1.C. de condict. indeb. l.29.§.5.ff. mandati,* habet eandem vim quam litis conteſtatio *arg.l. 9.C. de L. C.* vim renunciationis, facit contractum valere omni meliori modo, quo valere poteſt *arg.l. 77.§.3. de Leg. II.* Præterea facit, ut quis præciſe teneatur ad factum; Quamvis enim alias in obligationibus facti de jure nemo præcisè ad factum compelli poſſit *l.13.§.1.ff. de re jud.* Attamen ſi formula An Eydes-ſtatt/ acceſſerit, intereſſe præſtando non liberatur, ſed præciſe aliquis ad obſervantiam facti compelli poteſt *c. ex reſcripto Extr. de jurejur.* Equidem de Jure Civili juramentum utet clauſula An Eydes-ſtatt non obligat ad turpia civiliter *l.5. in f. C. de LL. l.7. §.16. ff. de pact.* ita v. gr. propter ſpecialem legis diſpoſitionem tranſigi non poteſt ſuper cauſa controverſa ex ultimis voluntatibus, quarum tenor nondum eſt cognitus *l.6.ff. de Transact. l.1.§. 1.ff. de teſtam. quemadm. aper.* nec huic diſpoſitioni partes juramento renunciare poſſunt, *arg. l. 5. C.de LL. l.7. §.16.ff. de pact.* Aliud exemplum eſt in lege commiſſoria pignoribus adjecta vid. Lauterb. *Tit. de pignorat. act.* Sed ſecundum Jus Canonicum & hodiernum obligat juramentum & clauſula An Eydes-ſtatt etiam ad turpia civiliter, modo non tertio aut æternæ ſaluti præjudicium immineat. Unde patet in caſibus recenſitis juramentum omnino eſſe ſervandum Jure Canon. & moribus hodiernis Lau-

jurata valet, cum ſit in præjudicium liberorum, diſſentientes refutat Hunn. *in Reſolut. L. 2. T. 2. 4.* §. *11.* Sic renunciatio jurata hæreditatis à patre vel matre præmoriente facta, non nocet liberis ad hæreditatem avi conſequendam *arg. l. 3.* §. *pen. in. fin. ff. de jurejur. l. 35. ff. de Inoff. teſtam.* idque in Scabinatu Jenenſi *M. Febr. 1630.* Præjudicio confirmatum add. Weſemb. *Conſ. 11. n. 14.*

Th. XVI.

Cæterum genuinus formulæ noſtræ effectus conſiſtit in eo, quod in nonnullis cauſis habeatur pro vero juramento in aliquibus non æque. Nimirum in quibuscunque cauſis lex vel conſuetudo vel pactum vel ſententia corporale & ſolenne juramentum pro forma requirunt, ut in teſte, filia renunciante, Judice &c. ibi fidei præſtatio An Eydes-ſtatt non ſufficit, *vid. Dn. Struv. in Jpr. L. 2. T. 34. a. ult.* Sed actus eſt nullus & juramentum debet reiterrari *text. in c. quamvis de pact. in 6.* Speidel. *voc.* Eyd / Eydes-ſtatt / Schrad. *de Feud. p. 10. n. 247.* Weſ. *C. 15. n. 63.* Rutg. Ruland. *de Commiſſ. p. 2. L. 2. 11.* Modeſt. *piſt. 2. conſ. 19. n. 4.* Caſus vero plures in quibus de Iure ſolennis jurandi forma neceſſaria eſt, vid. relatos apud Rauchbar. *p. 2. q. 1. n. 92.* Ubi autem pro forma juramentum ſolenne non requiritur, ibi formula hæc æque ac ſolenne juramentum obligat; ſaltem æquipollenter Schurff, *3. Conſ. 62. n. 4.* Rauchb. *P. 1. q. 2. n. 60.* Mev. *1. d. 146. & 3. d. 270.* Unde in productionibus teſtium (vel aliis ſimilibus cauſis) ſi forte Nobilis aut alius

emi-

eminentioris ſtatus aut dignitatis vir in teſtem productus loco juramenti offerret ſolius fidei dationem **An Endes-ſtatt** judici vel Commiſſario expreſſum præſertim mandatum habenti de recipiendo juramento corporali, quod invitis partibus & contradicentibus talis non ſit audiendus, ſed corporali jura-mento adſtringendus probat Uran. *in Lectur ad Cap. ex literis de conſtit. in Not. ad. Speid. c. 1.*

Soli Deo Gloria

COROLLARIA.

I.

Minor jurans non contravenire actui, excluditur à beneficio reſtitutionis ſibi competente etiam non certioratus de illo.

II.

Licitum eſt contrahentibus à ſponſali-

III.

Acrius dictum à vulgo : Es iſt ein Schelm / oder wird noch einer werden / der eine Hure zur Ehe nimbt. Neque ex opificum collegio removendus eſt, qui ejusmodi fœminam duxit.

IV.

Quæritur : Num matrimonium cum caſtrato, vel unicum tantummodo teſticulum habenti concedendum ſit ? Affirm. de hoc, Neg. de illo.

V.

Firma hæc eſt excuſatio : Ich habe ihr Geld geben / eaque à matrimonio liberorumque alimentatione liberat.

VI.

Filiusfam. de peculio adventitio irregulari teſtari poteſt.

VII

Periculum rei emptæ ad ementem pertinet.

QUid vice ſit juramenti, Tua docta reponit
Crena, quid importet qui conſtringatur & idem
Clauſula quem tenet hæc: De toto gratulor ergo
Pectore, proficiat ſtudium hoc Patriæq; Tibiq;

Sic gratulari voluit Dno. Reſpondenti Amico inquilino & commenſali ex paucis optimo.

Andreas Bleeß / D.
Regim. Sax: Ien: Advoc: Ord. ejusdemque Cameræ Procurator.

EX horto Juris glubit Klauberus amœnos
Flores: ut monſtrant lemmata docta ſatis.
Perge ſicut pergis Themidis peragrare roſeta,
Ac ſedula libros volve revolve manu.
Tunc decor, amplus honos, ac gloria læta manebunt
Laudibus ut ſummis Te ſuper aſtra vehant;

Quod animo gratulabundo precatur.

Præſes.

PRælia dum tractas, mi Klauber, ſidere fauſto,
Sidera clara Tibi, præmia chara fient!

QVæ DoMIno aVCtorI In tranſItV VoVens apponere VoLVIt.

M. Jerem. Mejer Paſt. Petersb.

DUm calles gemini nodoſa volumina Iuris,
Ingeniique Tui ſpecimen prænobile ponis;
Hinc Tibi ſurget honos ingens, hinc fama perennis

Kan ein gebrochner Eyd wohl unbeſtraffet
bleiben
Und was An Eydes-ſtatt ſo theuer zugeſagt?
Dis denckt ietzt alle Welt weil nichts nach Ey-
den fragt
Der auff den Lilien Thron pflegt Spott damit zu-
treiben
Es hat dein Vaterland u. Francken gnug erfahren
Wie Glauben und Parol Er hat gehalten ein
Er ſpricht: Ein König muß kein Sclav der
Worte ſeyn.
Wie ſolt der treue GOtt an ihn die Straffe ſpahren?
Aſträa hält dir mehr was Themis ihr geweiſet
Da deinen treuen Dienſt Sie heut zur Prob
begehrt
Und weil von deinen Fleiß gut Zeugniß Sie
gehört
Dein hervorwallend Glück mit dieſen Wortē preiſet:
Wer Glaub und Eyde bricht wird ungeſtrafft
nicht bleiben/
Wer Glauben hält/der ſoll mit Klaubern ſtets
bekleiben.

Mit dieſen geringen Zeilen wolte ſeine Schuldigkeit dem Herrn Reſpondenten J. U. Candidato ſeinen werthgeſchätzten Freund: bey ſeiner rühmlichen Diſputation eylfertigſt abſtatten.

M. Chriſtoph Donndorff/ Ileb.
J. U. Candidat.

EN dextramq; fidemq; ! Cari jurantia verba
Teutonis invenies, non centum luſtra revolvens.
Aſt ubi priſca fides ? cecidit violataque dextra,
Hinc

Hinc germane tuum nomen cum larva remanſit :
Quis credit verbis! multis in millibus unus
Reddita jura tuetur; Nunc frangunt Sacramenta.
ODeus inſcius & p rnix tentantur mille periclis
Hunc, dura in mala præcipitem de tramite recto
Corrige, convertas, ut Saxea corda liqueſcant:
Illum jurantis vinclum KLAUBERE doceto ;
Sic Tua, perdoctum ſpecimen, quinquennia Juris
Nobis præſentant abſentis pignus amore
Dignum, ſpem certam dulci Patriæque Parenti,
Laurea pro meritis patria hinc Tibi reddet amœna.

Nobiliſſimo Doctisſimoque Domino Autori Amico, Contubernali, & Commenſali ſuaviſſimo & per annos probatiſſimo, cum larga ſparta omnigenam proſperitatem in patriam abiturienti apprecari ſuamq; memoriam commendare voluit debuit,

Georg. Nobbe, Hildeſ.

Candide juridicæ Cultor, KLAUBERE, parentis
Spes & ſolamen, nec non Patriæ decus ingens.
Teſtantur cunctis, quæ tractas, ſedulitatem
Sollicitam, gemini ſancti quantoq; labore
Abdita ſcrutatus fueris penetralia Juris.
Docti propterea meritò dant munera laudum ;
Lætantur patrii fines, gratantur Amici :
Perge bonis factis latam ſuperaddere metam.
Pro meritis ſacrata Themis conferre brabea
Larga parat. Fiat ! DEUS, annue votis.

Hoc exiguum magni amoris memoraculum Nobiliſſimo Domino Authori Reſpondenti, Fautori;

Ein Tugendhaffter Geiſt / der keine Laſter kennet /
Der / was der Pöbel liebt / und nidrig iſt / veracht /
In deßen Edler Bruſt der Ehre zunder brennet /
Der ſchnöde Eitelkeit als leichten Tandt veracht /
Der ſucht durch Kunſt und Witz zun Sternen ſich zu-
ſchwingen /
Des Geiſtes Edler Sinn treibt ihn zu hohen an /
Er trachtet nur nach Ruhm / und ſtets nach hohen Dingen /
Bis daß ſein kluges Haupt bekröhnt man ſchauen kan.
Er allerliebſter Freund. Läſt dieſes klährlich ſehen /
Wie Kunſt und Tugend ſey ſein eintzig Eigenthum /
Des Vaterlandes Preiß ſiht Er erhaben ſtehen
Doch ſucht Er auch durch ſich zu mehren deſſen Ruhm.
Er fahre ferner fort / ſo wird der Lohn ſich finden /
Den ihren Söhnen hat Aſtræa auffgeſteckt /
Es werden Palmen ſich um ſeine Schläffe winden.
Die keiner Zeiten Roſt / noch Neider Gifft beflecket.

Dem Edlen und wohlgelahrten Herrn *Reſpondenten* ſeinen werthgeſchätzten Freunde und *Commenſali* wolte mit dieſen geringen wohlmeinent *gratuliren*.

Gottfried Chriſtoph Richter /
L. L. Stud.

VITTORIO EMANUELE